

fieri posse, cùm tamen ex motu Telluris vnicō secutura sint. Atque hoc quidem multa post secula vix demum fiet, sed tertio mutatio eccentricitatis terrenæ, qua centrum eccentrici ad Solem accedit, & ab eo recedit, inde à Ptolemæo ad nos vsque magnum quid in Marte & Venere intulit: quorum eccentricitates cùm mutatæ videantur, quid Ptolemæum dicturum putas? Nunquid rursum novos circulos in cæterorum infinitam turbam ascisceret, si viueret? quibus omnibus in Copernico opus minimè est. Hæc tot & tanta Copernicus per vnius Circuli A B positionem & motum præstítit: vnde meritò, quamuis exiguus esset, M A G N O cognomen dedit. Hic primus motus cœlo Lunæ cum Tellure communis fuit.

Iam porrò videamus, quid reliqui motus telluris efficiant; qui accidunt intra illum Lunæ orbiculum ad A.

Secundus igitur motus non integræ orbis, sed orbiculi cœlestis, terræ globum proximè ceu nucleus includentis, tendit in oppositum ab ortu in occasum, perinde vt epicyclia superiorum, quibus eorum eccentricitas saluatur à Copernico. Huius annua constitutione fit, vt æquinoctialis semper in eandem mundi partem declinet. Poli enim Æquinoctialis siue corporis ab huius polis per 23. gradum cum dimidio, distant. Qui motus cùm pauxillo velocior sit motu annuo orbis magni, facit sectiones circulorum, siue æquinoctiorum loca paulatim in præcedentia moueri. Quare per hunc exiguum globulum cadit illa monstrosa, ingens, ἀναρρος noua Sphæra Alphonſinorum, vt cuius officium in illum orbiculum ante necessarium translatum est. Cadit etiam motus deferentium Apogæum Veneris, vt quod non aliter mouetur, nisi si fixæ moueri statuantur.

Tertius motus est Polorum globi terreni, constans duabus librationibus, quar vna est alterâ duplo celerior, & ad rectos angulos. Is administratur per quatuor circulos, sic vt bini circuli singulas librationes faciant, & librationes ipsæ permixtæ corollæ intortæ speciem præbeant, in hunc modum:

Vna libratio in Coluro solstitiorum fit, & saluat variationem declinationis Zodiaci, serò post Ptolemæum tempora animaduersa: tale quid & Ptolemæo opus fuisset confingere, & non nulli moderni, vndecimo Mundi orbe iam conficto, præstare

C 2 conati

